QUÆSTIO MEDICA
EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

JACOBO CHASTELAIN,

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo,

SUB HAC VERBORUM SERIE,

An Apoplexiæ Emetica.

Quam Deo favente & auspice Deiparâ, propugnabit in augustissimo Monspeliensis Fano die Julii, ab horâ octavâ ad meridianam anni 1715. ANTONIUS JOSEPHUS SALMON Atrebas, Artium Liberalium Magister, & jam dudum Medicinæ studiosus.

Pro primâ Apollinari laureâ consequenda.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Collegii & Urbis Typographum. 1715.

QUÆSTIO MEDICA EAQUE THERAPEUTICA,

An Apoplexiæ Emetica.

APOPLEXIA *Apo tou Apoplettein*, id eſt percutere ; quod ea correpti, non rarò abſque prodromis, ſeu fulmine percuſſi, ſubitò concidant. Idem morbus ſideratio nuncupatur, quoniam qui eo affliguntur, quaſi de Cœlo tacti, vel maligno ſidere afflati derepentè corruunt, affectus quoque attonitus dici conſuevit, quia eo ingruente veluti igne cæleſti conſternuntur ægri. Nomen Aphonia, ſicut & alia quibus inſignitur communia non propria ſunt.

Stupenda & lethalis hæc affectio, habitâ ratione ſymptomatum, optimè deſcribitur præ-

ternaturalis sensus omnis, & motus voluntarii privatio cum partium iis functionibus inservientium laxitate, remanentibus respiratione, pulsu & deglutitione quæ difficulter peraguntur.

Pro majori vel minori respirandi læsione, quatuor Apoplexiæ differentiæ proponuntur ab Authoribus; ast perperam, ut mox patebit.

In primâ non solùm sensus & motus; verum etiam respiratio, saltem ad sensum deficit; in quo casu pulsum pariter deficere necessum est, & Apoplexiam cum Asphuxiâ confundi vel complicari. In secundâ, respiratio admodum difficilis & laboriosa cum stertore deprehenditur. In tertiâ, liberior est, sed inæqualis, inordinata & intermittens. In postremâ, difficulter perficitur, quadantenus tamen servat ordinem.

Apoplexia ratione magnitudinis, distribuitur in fortissimam, fortem, & debilem. Ratione causarum, in habitualem & accidentalem. Ratione partis primario affectæ, in idiopathicam & sympathicam.

Secunda species primæ divisionis censeatur fortissima; tertia fortis, quarta debilis. Habitualis vocatur quæ sæpe recurrit, sive cerebri, sive aliarum partium vitio. Accidentalis est illa quæ absque prævia cerebri, aliarumve partium notabili dispositione, abusu rerum nonnaturalium invadit. Idiopathica quæ pendet à proprio cerebri vitio, putà scirrho, aliove

tumore. Sympathica quæ fit dependenter ab aliarum partium affectibus, qualis contingit interrupto humorum à cerebro remeatu, quacumque de causa extra ipsum posita, ut in prægnantibus, puerperis, menstruorum & hæmorrhoidum suppressionibus, atque viscerum obstructionibus. In quorum pluribus, non sòlum major sanguinis quantitas ad superiora determinatur, verum etiam aliqua materiæ peccantis portio, cum illo qui partes affectas alluit, ad cerebrum proripitur.

Quandoquidem eorum omnium quæ in nostra definitione comprehenduntur, unica assignari nequeat causa proxima, singulorum sigillatim examinanda venit. Experientia docet & ratio suadet sensus externos aboleri, & motum voluntarium sufflaminari; quoties fibræ musculares spiritibus animalibus non irradiantur aut cruore non irrorantur; posteriorem causam hic accusare non est æquum, quippe celebratâ venæ vel arteriæ sectione, liquor vitalis affatim emanat, ni hujus crassities id vetet; ergo priorem insimulare fas est: spiritus autem non irradiant laudatas fibras ex eo quod per tubulos nerveos, posito aliquo obice, in ovales earum cellulas influere non possunt, quamvis fontibus suis suppetant, vel propterea quia his ipsis non suppeditentur; primum repugnat, vigerent enim sensationes internæ, secundò igitur insistendum.

Nunc perpendamus quomodo fontibus ſuis deſint ſpiritus. Extemplo ſollicitæ menti varia occurrunt, inprimis eorum in ſanguinis ſinu penuria aut implicatio, anguſtia glandularum ſubſtantiæ corticalis cerebri; per quarum meatus ſecernuntur, aut vaſculorum ſecretoriorum per quæ ad emporium transferantur, aliaque ut anguſtia arteriarum, quibus ad acinos glanduloſos deferuntur; commemoratæ penuria & implicatio cum operationibus quæ ſuperſunt conſiſtere nequeunt. Hinc liquet defectum ſpirituoſi laticis in propriis fontibus refundendum eſſe in anguſtiam quam nos jure compreſſioni, obſtructioni vel relaxationi tribuimus. Comprimuntur prædictæ glandulæ & vaſcula excretoria ſanguine qui in vaſis impenſius rareſcit, è ſuis clauſtris effunditur, intra ſuos alveos moram trahit & aggeritur, ſero quod tum è ſuo contextu exprimit, tumoribus & materia purulenta ac ſanioſa quæ ex his ſuppuratis erumpit, duro corpore quod cranium deprimit. Nimiam ſanguinis rareſcentiam ab atomis hæterogeneis ipſi permixtis, ipſius effuſionem ab ejuſdem mole & fermentationis niſu, mora & aggeſtu, expreſſionem ſeri ex propinquiori aliarum partium humoralium ad ſe invicem acceſſu deducimus. Quo pacto tumores comprimunt, pus & ſanies è tumoribus erumpant, duraque corpora cranium deprimant, lippis & tonſoribus plus ſatis innoteſcit. Atomi hæte-

rogeneæ vel in ſanguinis ſinu progignuntur, vel ipſi aliunde ut à primis viis aut ab aëre ſuggeruntur, moles à copiâ chili, fermentationis niſus à molecculis magnitudine, figura, pororum ordine atque amplitudine diſcrepantibus, mora & aggeſtus à craſſitie ſanguinis nativa vel adventitia, vel cerebri atonia, propior partium humoralium acceſſus à quiete ipſarum reſpectiva quam ex dictis inferre eſt, proficiſcuntur.

Obſtruuntur acini glanduloſi nec-non vaſcula inde prodeuntia materiebus limphaticis, aliiſque unà cum ſpiritibus in ipſorum cavitates introductis, inibi præ ſuâ craſſitie ac viſcoſitate hærentibus, licet nulli inficiamur exteriores cerebri ſubſtantiæ glandulas, vaſaque ab ipſis protracta, opilationibus obnoxia eſſe. Neutiquam tamen animum adducere poſſumus ad credendum Apoplexiam quæ ex inſidiis ſeu abſque ſenſuum ſtupore, capitis dolore, gravamine, caro, comate ſomnolento, aliiſque ſymptomatis aut morbis ingruit, obſtructionibus natales unquam debere. Nihilominus per tranſennam aſtruimus Apoplexiam antecedentibus quæ jam jam retulimus, repentino invadere poſſe. Sicut ultima unitas aliis adjecta numerum; ſic certi gradus ſupervenientes aliis Apoplexiam ſpecificant. Manifeſtè ſibi contradicunt, qui relaxationem glandularum toties decantatarum ſuæ obſtructioni occaſionem præ-

bere afferunt ; & interim affeverant iftis nimium relaxatis, nè vel fpiritus ad commune fuum receptaculum confluere poffe.

Relaxantur glandulæ & vafa excretoria ferofo laticè, qui fpiritibus admiftus illorum compagem adoritur, aut qui à fanguine ftagnante in hanc depluit, atque imbibitur. Perraro concretiones frigidæ quæ tumores conftituunt, per fe Apoplexiam pariunt, anfam ipfius genefi, ut plurimum præbent, concurrente fanguinis effervefcentia, fpiffitudine aut quantitate. Debilitas vaforum fanguiferorum ad inflammationem fiftrophicam, quæ fit illorum rixi atque fovetur, confert. Sanguis vifcidior & craffior ingrumefcit, & fibi viam præcludit, inæqualiter tumultuans propter inæqualem mifturam, extricationem, & exaltationem Corpufculorum hæterogeneorum vafa capillaria anterius confstringit, & circulum fuum retardat.

Obiter annotandum, quod interrupto fanguinis commeatu per dextrum aut finiftrum cerebri latus, glandulæ & vafa excretoria in oppofito preffione communicata, aut humoribus illic uberius appellentibus coarctentur, cæterum glandulis & vafis excretoriis patentibus ipfum emporium tantam compreffionem quandoque pati, quanta requiritur ad Apoplexiam producendam. Demum Paralifim, quæ illa foluta fe manifeftat non fieri femper per metafstafim humorum à cerebro fed aliquando per

materies

materies quæ nervos ante infeſtabant. Anguſtantur arteriæ deferentes ſpiritus ad acinos glandulofos, grumis ſanguinis illorum cavitatibus impactis vel aliquo tumore iis incumbente; à cauſis conſimilibus interrumpitur humorum à cerebro regreſſus, non eſt quod explicem qui parotides Apoplexiam inducere valeant.

Nemini mirum ſit, reſpirationem & deglutitionem, abolitis ſenſu & motu voluntario, remanere. Spiritus functionibus illis deſtinati derivantur à cerebello, quod propter compactiorem ſubſtantiæ modum, plures profundiores piæ matris circumvolutiones, cauſis morbificis magis reſiſtit, quam cerebrum. Reſpiratio difficilius perficitur; quod compreſſione à cerebro inducta cerebellum mali fiat particeps, vel ſiderationis cauſæ potentius in hoc ipſum agant. Reſpiratio fit inæqualis propter inæqualem ſanguinis circuitum per tortuoſos pulmonum tubos, & inæqualem ſpirituum reſpirationis muſculis dicatorum diſtributionem, quæ proveniunt ab inæquali cruoris craſſitie atque fermentatione, intermittit eaſdem ob cauſas. Supereſt motus cordis propter quod præſto ſint ſpiritus ad tonum ipſi tribuendum, fluidum ipſius motivum ad ipſius ſiſtolem, nec-non virtus elaſtica ad ejuſdem diaſtolem exercendas, variis tamen modis læditur pulſus, prout facilius vel difficilius nunc & tunc liquor vitalis pulmones peragrat.

Stertor provenit à sero vel lympha quæ per glandulas tracheæ, bronchiorum aut vesicularum pulmonarium copiosius sequestratur & cum aëre inter respirandum, uvulæ aliisve partibus relaxatis illiditur. Relaxantur illæ partes spirituum inopia & sero aut limpha quæ à sanguine segnius circulante exprimitur. Mucus è naribus & saliva ex ore, relaxatis eorum glandulis copiosius effluunt, pari ritu urina & fæces absque voluntatis actu excernuntur.

Qui collum habent breve & obesum, aliis procliviores sunt in Apoplexiam, nam sanguis habita ratione molis, velocius ad cerebrum breviori via defertur, & lentius ab illo præ cervicis carnositate, & majori cutis cervicem ambientis tensione regreditur.

Præmissis causa immediata & remotioribus affectus hujus attoniti, tandem ad causas remotissimas progrediendum; & ad harum classem reducantur res omnes non naturales, præsertim illæ quæ massæ sanguineæ fermentationem, coagulationem, & deliquium promovent; qualia sunt ira, gaudium, exercitia vehementiora, potus liquorum ardentium, aromatum abusus, mætus & tristitia, somnus diutius protractus, vita sedentaria, alimenta viscosa, frigida, acida, dispepta & euchima, majori quam par est quantitate aggesta, acribus referta aliaque bene multa quorum enumeratio & modi agendi explicatio thesim in

immenſum protraheret, quamobrem ab his conſulto ſuperſedemus.

DIAGNOSIS.

APoplexia præternaturali ſenſus omnis voluntarii privatione cum Epilepſia & Catalepſi perfectis, atque Aſphuxia, partium laxitate cum caro, comate ſomnolento, Lethargo, omnibuſque ſincopes ſpeciebus convenit. Omnium functionum animalium privatione diſcrepat ab Epilepſia & Catoche levioribus, prædictarum functionum privatione differt à caro, nec non aliis affectibus ſoporoſis. An à rareſcente ſanguine ortum habeat, ex temperamento, prægreſſis faciei rubore, totius corporis calore, fortiori pulſu, validiori & celeriori reſpiratione, ſuppreſſis hæmorrhoidibus aliiſque evacuationibus. An à craſſo, ex pallido & cadaveroſo vultus colore, extremorum frigore, pulſus & reſpirationis languore: An autem à ſanguinis diſſolutione, ex præcedentibus, alimentorum acriorum abuſu, & abſentia ſignorum quæ alias cauſas redarguunt, diſcernere eſt.

PROGNOSIS.

HIc affectus acutiſſimus, tempeſtiva Medici prudentis indiget opera, quo difficilior eſt reſpiratio, magis à naturali norma deſciſcit,

& actiones vitales labefactantur, eò majus vitæ periculum imminet, ex divini senis Aphor. 42. sect. 2. Apoplexiam fortem tollere impossibile, levem non facile. Quæ fit à simplici sanguinis rarescentia, stagnatione, aut cerebri violenta succutione, quam quæ cranii vel vasorum sanguiferorum ruptione progignitur, facilius curationem admittit. Si à concretionibus scirrhosis, obstructionibus, aliisve causis pertinacibus proximè oriatur; conclamatum est de ægro, senibus & debilioribus quam juvenibus & robustis funestior est. Sæpissimè in Paralisim universalem vel particularem degenerat, aut utramque post se relinquit. Et dem hebescentibus & resolutis partibus recurrit & natura morbo succumbit, extremorum frigiditas & Asphuxia mortem in procinctu esse significat.

CURATIO.

Tempore paroxismi, si opus fuerit diæta tenuis instituatur, quæ humorum crasi competat & vitæ summopere periclitantis stamina protrahat. In Apoplexia tum sanguinea, tum pituitosa, ut loquuntur, auspicandum à venæ sectione pro viribus, ætate, sexu, necessitate ac temperamento celebranda. Quidquid in suis oraculis confidenter pronuntiet celsus. In prima specie depletis vasis liberius

circumducitur ſanguis, ictuque debiliori vaſorum parietes impetit, multum ſui motus flaccidis partibus impertit. Si quæ ejus portio per rixim è ſuis alveolis effluxerit, non ita difficile reſorbetur, ac ſi iſti non fuiſſent evacuati; accidit quod pertuſa ſufficienter venâ, ſi quæ ſint repagula, facilius ſubmoveantur & remedia mochlica, quæ ſola in atonia ventriculi, & inteſtinorum conducunt, tutius & fælicius exhibentur. Temperantia in ſanguinis orgaſmo, ſicco pede non ſunt prætermittenda. In ſecunda ſpecie vitæ theſaurus parcius hauriendus. Nec venæ ſectionem dehortatur diathæſis ſanguinis, quam vulgò pituitoſam nuncupant. Quippe experientia docet ætate provectos, qui pituitoſi audiunt à Peripneumonia, Pleuritide, aliiſque inflammationibus liberari ſanguinis miſſione, ac poſtea ad congruam valetudinem reſtitui, Phlebotomia ſanguinis circuitui, ventilationi, ſpirituum geneſi & exaltationi, nec-non materierum peccantium expurgationi favet. Obſtructiones reſerat, tumores aufert aut imminuit, & ſerum intimius cum cruore commiſcet. Si quid tamen iſtam prohibeat, ejus vices in quantum fieri poteſt, Cucurbitulis ſcarificatis, Hirudinibus, aliiſque auxiliis ſupplenda. Hic locum ſibi vendicant reſolventia, incidentia, attenuantia, corroborantia, ſtomachica, atque abſorbentia, ſudorifica, & diuretica ſalutaria ſunt. Frictiones

digitorum distorsiones, corporis punctiones, candentes sartagines, cephalica interius assumpta & exterius applicita, sternutamenta, apophlegmatismi, vesicantia, pilorum evulsiones, suffitus fœtidi, aliaque id genus commendantur: Spiritus fuliginis, Salis tartari, & Ammoniaci, Cranii & Sanguinis humani, & Elixir proprietatis & vitæ. Balsama varia, præ cæteris Apoplecticum, Lilium paracelsi, Aquæ ex Aromatis distillatæ, Salia alkalina volatilia, qualia sunt Viperarum, & Urinæ, Guttæ Anglicanæ, quibus palmam præripiunt Monspelienses à Supremæ Monspeliensis Curiæ Principe, numquam satis laudando inventæ, & summo charitatis in fratres ardore elaboratæ. Si sanguinis excandescentia malum invehat, ab iis quæ tumultum fovent, & adaugent, religiosè abstinendum. Præmissis præmittendis, Clisteres acres in toto morbi decursu sunt injiciendi, Cathartica vehementiora apprimè conveniunt, Purgatio levioribus continuanda. Fracto vel depresso cranio ad Terebram aliaque Chirurgorum auxilia confugiendum. Extra Paroxismum aër temperatus est eligendus, qui ad calorem vergit, frigidiori præferendus est, nebulosus & palustris nocet, amicorum colloquiis recreandi sunt ægri, exercitia modica prosunt, victus ratio sit mediocriter tenuis. Multis exceptis eadem exhibenda remedia quæ in paroxismis resolutionibus quæ solutæ Apo-

plexiæ supersunt aut superveniunt, remediis appropriatis succurrendum, sed cum Emetica saburram pravorum humorum in stomacho nidulantium quæ morbum fovet, citò & tutò eliminent, totum corpus, quam latè patet, succutiant, spiritus suscitent, humorum circuitum promoveant, aliaque mira præstent, & somnum excutiant. Jure concludo

Apoplexiæ Emetica.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII,

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac,
R. D. Antonius Deidier,
R. D. Petrus Rideux,
R. D. Antonius Magnol,

DOCTORES AGGREGATI.

R. D. Joannes Henricus Haguenot,
R. D. Henricus Haguenot, *Patris Coadjut.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Euſtachius Marcot,
M. Jacobus Lazerme,
M. Antonius Fizes,
M. Franciſcus Germanus Prevoſt,
M. Antonius Franciſcus de la Mezangere,
M. Claudius Ludovicus Perrand,
M. Thomas Martin,
M. Guillelmus Rey,
M. Alnardus Bayo,
M. Joannes Pitot.